

Ergo claudicant, sed debet dici de Sacrobosco, id est de tali loco. Causa materialis sive subiectum istius libri est machina mundi in comparacione ad suam figuram et suas partes <et> proprietates, que sibi insunt secundum hanc suam^{u)} figuram. Causa finalis est duplex: intra et extra. Finis intra est perfecta cognicio eorum que in hoc libro traduntur. Finis extra est triplex: remotus, remocior, remotissimus. Remotus est faciliior accessus in totam astronomiam. Remocior est faciliior accessus ad alias sciencias principales, scilicet metaphysicam^{v)} et physicam, quia ista sciencia iuvat ad complecionem utriusque quodam modo. Finis remotissimus est beatitudo et felicitas humana, ad quam omnes sciencie finaliter ordinantur. Hec autem felicitas consistit in perfecta speculatione rerum et completa operatione virtutum secundum quod est possibile hominibus in hac vita, quia nos loquimur de aptitudine quam homo hic potest habere. Causa formalis est duplex: Forma tractatus et forma tractandi. Forma tractandi est modus agendi quem habet auctor in hoc libro et qui est diffinitivus, quia diffinit aliqua, divisivus, quia dividit aliqua, exemplorum positivus, quia ponit exempla, arguitivus, quia arguit et redarguit aliqua, ut patebit. Sed forma tractatus consistit in divisione libri. Dividitur ergo in duas partes, scilicet in prohemium et execucionem; executiva ibi: *Spera igitur est*. In prima parte reddit nos attentos ad audiendum, docibiles ad capiendum et benivolos ad retinendum. Reddit nos attentos in eo quod ostendit nobis de nobili materia se tractaturum. Reddit nos docibiles in eo quod elegantem et compendiosum ordinem tractandi nobis proponit. Reddit nos benignos eo quod dignam rem nobis proponit tractandam, quia homines virtuosi, sicut debent esse scolares viri, dedignantur audire^{v)} vilia, sed speculatione digna secundum illud Averro^ys XII. Metaphysice: Stultus est qui curat speculari vilia^{w)} etc.¹³⁾

Dicit ergo sic¹⁴⁾: Nos *distinguimus tractatum de spera* sub *quattuor capitulis*, id est partibus principalibus vel capitalibus. Tunc ostendit quid sit facturus in quolibet capitulo. Ergo dividitur in quattuor; secunda ibi: *In secunda*, tertia ibi: *In tertia*, quarta: *In quarta*. Primo dicit: Nos dicemus in *primo* capitulo *quid sit spera, quid centrum spere, quid axis spere, quid polus mundi, quot^{x)} sint spere et que sit forma mundi*, id est

u) suam *am Rand* ergänzt
v) audire *am Rand* eingefügt

w) Averroys dicit *am Rand*
x) quod *Hs.*

¹³⁾ Aristotelis Opera cum Averrois commentariis, Bd. 8 (1562) fol. 290 H?, 334 L ff.?

¹⁴⁾ Das Folgende bis zum Schluß vgl. bei Johannes de Sacrobosco, Tractatus de spera, ed. L. Thorndike (1949) S. 76 ff.